



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 166. Plures Academiae, Urbesque piam Sententiam tuendi voto sese obstringentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. duntaxat ad Principum, plebisque ar-
 A. C. 1617. bitrium fidem novis articulis auxisset:
 nunc saltem non sine propria confusio-
 ne fateri coguntur, quod Pontifices nec
 temere nec tunc, *cum libet*, novos fidei
 articulos condant, uti falso Catholicis
 exprobat Anglicæ Apologiæ Author,
 (*) sed non nisi eos, quos Ecclesia in Verbo
 Dei scripto contineri agnoscit, tanquam
 fidei articulos accedente universali Ec-
 clesiæ consensu declarent, ac propo-
 nant.

§. CLXVI.

*Plures Academiae, urbesque piam sen-
 tentiam tuendi voto sese ob-
 stringentes.*

*Argentre
 collect. jud.
 tom. 3. pag.
 190.*

Causa hac nondum definita plures A-
 cademiæ, Regna urbesque pro sua,
 qua ferebantur, pietate erga B. Vir-
 ginem sese juramentis promissoriis, non
 autem assertoriis, ut Scholæ loquun-
 tur, cultum, veritatemque immaculatæ
 ejus Conceptionis tuendi votis adstrin-
 xere. Prævolabat religioso hoc fervore
 ceteris Parisina Universitas, quæ
 jam ante Basileense Concilium anno
 Chri-

(*) Vid. supra Jacobi I. Apologiam proju-
 ramento, lib. 187. Hist. Eccles. Fleurii tom. 54.
 §. 8. pag. 31.

Christi millesimo trecentesimo quadra- Sæc. XVII.
 gesimo sexto, & quinquagesimo post A. C. 1617.
 anno inhibuit, ne sententia piæ opinio-
 ni opposita in scholis traderetur; anno
 autem Domini millesimo quadringente-
 simo nonagesimo septimo a Doctoratus
 laurea exclusit omnes, qui hoc myste-
 rium, se acerrime defensores, jurato
 non promisissent, ac propterea Monte-
 sono, & postea Maldonato Jesuitæ, qui
 hujus sententiæ certitudinem negabant,
 non leve faceffivit negotium. Celeber-
 rimæ hujus Academiæ exemplum se- *Lamprid. c.*
 quebatur anno Domini millesimo qua- *9. pag. 65.*
 dringentesimo nonagesimo nono Colo-
 nienfis, & biennio post Moguntina:
 Anno autem hujus sæculi decimo septi-
 mo Complutensis juratum ejusmodi vo-
 tum emittebat: Præterea Philippus III.
 hujus voti discussionem commiserat Sal-
 manticensis etiam Academiæ Magistris,
 qui re per plures Menses examinata
 tandem die decima septima Septembris
 decreverunt, ut tertia Dominica Octo-
 bris anno sequenti tota Academia ejus-
 modi voto sese obstringeret: unde om-
 nes omnino Clerici, ac Religiosi præsti-
 tuta die unacum Episcopo Francisco de
 Mendoza ab Ecclesia Cathedrali ad Mona-
 sterium Sanctæ Ursulæ progressi nomine
 totius universitatis jurejurando polliciti
 sunt, quod *Beatissimam Virginem a primo*
 Con-

Sæc. XVII. *Conceptionis instanti ab originaria labe*
A. C. 1617. *præservatam, ac perpetuo immunem fuisse,*
tam privatim quam publice asserere, defen-
dere ac prædicare velint, nullusque unquam
ad Academicæ gradum admitteretur, nisi
qui huic voto eadem mentis sententia suffra-
gatus, & semper tam publice quam privatim
se suffragaturum juramento adstrinxerit.
 Idem juramentum eodem anno præsti-
 tit Universitas Granatensis, & anno
 Christi millesimo sexcentesimo decimo
 octavo die octava Decembris Neapoli-
 tani Regni Status solemne ejusmodi
 juramentum hoc tenore Beatæ Virgini
 exsolvebant: „Nos Petrus Giron Dux
 „Osunæ, atque in Regno Neapolitano
 „Prorex, & venerabilis Universitas Stu-
 „diorum Regiorum, necnon Consilia
 „Ministorum, ac Militia peditum in
 „hac civitate consistentes, Sacrarum
 „literarum, Sanctorum Conciliorum, Tri-
 „denti præsertim, SS. Romanorum
 „Pontificum, ac Beatissimi D. N. Pauli
 „divina providentia Papæ V. de tuæ
 „gloriæ amplificatione benemeriti, Pro-
 „batissimorum Patrum, universo fere
 „jam populo plaudente, vestigiis in-
 „hærentes, in hoc tibi sacro Templo,
 „in hac nobis læta & fausta festivitate,
 „per merita Filii tui, te jam ab ipsa æ-
 „ternitate sine originali peccato prævi-
 „sam, & præservatam confitemur, te-
 „stamur-

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

„stamurque, Deum & Filium tuum, nos
 „hanc sententiam de tua ab originali
 „peccato præservatione, nostro jam du-
 „dum insitam pectori, Deo inspirante,
 „constantissime ad ultimum vitæ spiri-
 „tum retenturos: hoc publice, hoc pri-
 „vatim docebimus: hæc eadem a no-
 „stris subditis, & a ceteris omnibus
 „(quantum in nobis fuerit) teneri &
 „doceri, Deo adjuvante curabimus,
 „ita vovemus, ita spondemus, ita ju-
 „ramus. Sic nos Deus adjuvet, &
 „hæc Sancta Dei Evangelia, quam as-
 „sertionem, votum & juramentum ad-
 „pedes S. D. N. Pauli Papæ V. submit-
 „timus, ut hæc omnia Apostolica be-
 „nedictione promovere dignetur.

„Tu ergo o felix, o summe felix, quæ
 „ab initio & ante sæcula ab ipso Deo
 „electa, & præservata fuisti, Beatissi-
 „ma Virgo, eundem Sanctissimum Do-
 „minum nostrum Paulum diuturnitate
 „pacis, & felicitate amplifica, & Ca-
 „tholicum Regem nostrum Philippum
 „tuæ sine peccato Conceptioni addi-
 „ctum omnibus bonis accumula, &
 „longævæ Senectutis Imperii, & justitiæ
 „gloria exorna, nobisque omnibus
 „animorum puritatem, ac peccati de-
 „testationem impetrare digneris.„ Pari
 „quoque Religione postea anno Salutis
 „nostræ millesimo sexcentesimo quadra-

Hist. Eccles. Tom. LV. Q q ge-

Sæc. XVII. gesimo nono Viennensis, & quadrag-
 A. C. 1617. simo octavo post anno Salisburgensis

Universitas suam pietatem Beatæ Vir-
 gini immaculatæ devovit. His acces-
 sere omnia Hispaniæ & Lusitanæ Re-
 gna, Ordines Equestres, necnon in-
 tegræ Civitates, Ecclesiæ Cathedrales
 unacum suis Archiepiscopis, atque Epi-
 scopis, necnon plurima Monasteria &
 Congregationes per totum pene orbem
 Christianum diffusæ: Speciali tamen
 mentione dignum est votum, quo Po-
 lonia sese obstrinxit, profitens, quod
pro hoc mysterio mori parata sit, marty-
rium subire & sanguinem profundere, quam
 promissionem his verbis firmat Polo-
 nus: *sic me Deus omnipotens ubique exi-*
stens adjuvet, & Passio D. N. Jesu Christi.
Amen. Hoc tamen votum, quod san-
 guinarium vocant, non pauci in dubium
 vocarunt, illudque ut Pontificia aucto-
 ritate irritaretur, efficere incassum co-
 nati sunt. Hos inter primi fuisse vi-
 dentur Bandellus, & Cajetanus, ac
 novissime Ludovicus Muratorius, qui
 primo sub Lamindi Pritani postea Lam-
 pridii, ac demum Ferdinandi Valdesii
 nomine delitescere voluit. Hos au-
 tem a Francisco Vera, plurimisque aliis
 satis superque confutatos, *omnesque li-*
bros, conciones, disputationes, & tracta-
tus impressos post annum 1617. in quibus
 asseri-

Tract. 2.
contra imm.
Concept. p. 2.
rat. 12.
tract. de
Concept. c. 5.

asseritur, B. V. in originali peccato fuisse conceptam, ad librorum prohibitorum Indicem fuisse rejectos novimus. Hujus vero concertationis exitus ad annum Domini millesimum sexcentefimum vigefimum primum referetur.

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CLXVII.

Quidam ex Franciæ Principibus a Rege proscripti.

Nec magis pacatæ erant Galliarum res; cum enim nec Ancræus Mascallus honore ac vita privatus, nec Condæus libertati assertus esset, adeo non sincera, firmaque Principum reconciliatio sperari poterat, ut potius Bullionius, Nivernius, Mayenius aliique Duces ac Principes denuo arma pararent. Inde Rex ad iracundiam provocatus, ineunte Mense Januario Lutetiæ Parisiorum edictum adversus Nivernensem Ducem promulgari jussit, eumque, exprobrata perduellionis culpa, dignitate, ac honoribus, officiisque spoliatum, tanquam rebellem, pacisque publicæ perturbatorem ex universo Regno proscripsit, nisi intra quatuordecim dierum spatium ipsemet coram Rege compareret, factorumque rationem redderet, ac dimisso, quem in Condæi opem conscripsisset, milite

*Merc. Gal-
lob. tom. II.
lib. 3.
Calmet Hist.
Univ, l. 151.*